

De concessione sibi et
heredibus Cecilli Baroni
de Baltimore.
5.

Rex &c Omnibus ad quos &c salutem.
Cum predilectus et perquam fidelis Subdi-
tus noster Cecill Calvert Baro de Baltimore

in Regno nostro Hibernie filius et heres Georgii Calvert Militis nuper Baronis de Baltimore in eodem Regno Hibernie patris inherens vestigiis laudabili quodam et pio Christiane religionis pariter et imperii nostri Territoria dilatandi studio flagrans licenciam nobis ut Copiosam Anglicane Gentis Coloniam industria et impensa sua ad certam quandam Regionem inferius describendam in terra quadam in partibus Americe hactenus inculta et barbaris nullam divini Numinis noticiam habentibus in partibus occupatis deducere possit, totamque illam regionem cum certis quibusdam privilegiis et Jurisdictionibus ad Colonie sue et Regionis predictae salubre regimen et statum pertinentibus a regia nostra Celsitudine sibi et heredibus suis dari concedi et confirmari humiliter supplicaverit Sciatis igitur quod nos pium et nobile prefatorum Baronum de Baltimore propositum et studium regio favore prosequentes ex gracia speciali certa sciencia et mero motu nostris dedimus concessimus et confirmavimus et per hanc presentem Chartam nostram pro nobis heredibus et successoribus nostris prefato Cecilli modo Baroni de Baltimore et heredibus et assignatis suis damus Concedimus et confirmamus totam illam partem Peninsule sive Chersonesus jacentem in partibus Americe inter Oceanum ex oriente et sinum de Chessopeake ab Occidente a residuo ejusdem per rectam lineam a Promontorio sive Capite terre vocate Watkins point juxta sinum predictum prope Fluvium de Wighco scituato ab occidente usque ad magnum Oceanum in plaga orientali ductam divisam et inter metam illam a meridie usque ad partem illam Estuarii de De la Ware ab Aquilone que subjacet quadragesimo gradui latitudinis septentrionalis ab equinoctiali ubi terminatur nova Anglia totumque illius terre tractum infra metas subscriptas videlicet transeundo a dicto Estuario vocato Delaware Baye recta linea per gradum predictum usque ad verum meridianum primi Fontis Fluminis de Pattowomack deinde vergendo versus meridiem ad ulteriorem dicti Fluminis ripam et eam sequendo qua plaga occidentalis et meridionalis spectat usque ad locum quendam appellatum Cinquak prope ejusdem Fluminis ostium scituatum ubi in prefatum sinum de